Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

adversus carnem. Ego quidem in utroque, sed magis ego in eo quod in me
approbabam quam in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis
iam non ego. quia ex magna parte id patiebar invitus quam facie-
bam volens. Sed tamen consuetudo adversus me pugnatior
ex me facta erat. quoniam volens quo nollem perveneram. Et quis
iure contradiceret cum peccantem iusta poena sequeretur. Et non
erat iam illa excusatio qua videri mihi solebam propterea non dum
me contempto saeculo servire tibi quia incerta mihi esset perceptio ve-
ritatis. Iam enim et ipsa certa erat. ego autem obligatus terra
militare tibi recusabam et impedimentis omnibus sic timebam ex-
pediri quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina saeculi
velut somno assolet dulciter premebar. et cogitationes quibus
meditabar in te similes erant conatibus expergisci volentium.
qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut ne-
mo est qui dormire semper velit. omniumque sano iudicio vigi-
lare praestat. differt tamen plerumque homo se excutere. cum gra-
vis torpor in membris est eumque iam displicentem carpit
libentius. quamvis surgendi tempus advenerit. ita certum habebam
esse melius tuae caritati me dedere. quam me cupiditati cede-
re. sed illud placebat et vincebat. hoc libebat et vinciebat.
Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi. surge qui dor-
mis. et exurge a mortuis et illuminabit te Christus. et undique
ostendenti vera te dicere. non erat omnino quid responderem
veritate convictus nisi tantum verba lenta et somnolenta. ecce
modo. ecce modo. sine paululum. Sed modo et modo non habebat
modum et sine paululum in longum ibat. Frustra condelecta-
bar legi tuae secundum interiorem hominem cum alia lex in
membris repugnaret legi mentis meae. et captivum me
duceret in lege peccati quae in membris meis erat. Lex